JACOBUS R.



ACOBUS Secundus, Dei Gratiâ, Magnæ Britanniæ Franciæ & Hiberniæ Rex, Defensor Fidei, Omnibus Regibus Principibus, Rebuspublicis &c.

POstquàm diuturno tamque funesto toti Christianæ Reipublicæ bello Europa conflagravit; cum utrimque omnes ad pacem componendam parati, eamque, nullâ nostri ratione habitâ, jam jam sancituri videantur: oportunum & necessarium existimavimus eo quod nobis solummodo superest præsidio uti, ad jus dignitatis nostræ tuendum, adversus omnia quæcumque ad illius imminutionem damnumque nostrum fieri poterunt, publicè protestando.

Et quidem rerum antea in nos iniquè gestarum seriem fusiùs prosequi non est animus, cùm illæ in oculis omnium transactæ, atque adeò notissimæ, narrari non indigeant: Esse verò qui de causæ nostræ æquitate dubitent, arbitrari non possumus.

Nec sanè afflictissimâ rerum nostrarum conditione, ex quo Princeps Auriacus Regna nostra per vim occupavit, solùm commovemur: Amor enim erga cives subditos nostros mutari nescius, facit, ut non sine acerbissimo animi sensu videamus, eorum sanguini non magis quàm opibus huc usque parcitum: eòque tandem redactos esse, ut si, nobis prætermissis, pax sanciatur, alienigenarum prædam, atque illorum imperio subditos illos esse necesse sit, quamdiu injusta dominatio stabilis atque inconcussa permanebit.

Permolestum quoque nobis accidit, quòd etsi consiliorum dignitatisque nostræ rationes omnes eò potissimùm spectaverint, ut pacis auctores & conciliatores, eam in Orbe Christiano conservaremus, quò inevitabiles ex bello publicæ calamitates præverterentur, eum tamen fructum consequi non potuerimus. Quia verò sparsus ab hostibus nostris rumor percrebuit, initum à nobis secretum cum Christianissimo Rege fœdus: tale nullum cum illo Rege, multò minùs adversus fœderatos ad presentis belli societatem Principes factum à nobis esse, fide Regiâ interpositâ, declaramus.

Quanti verò etiam adversus illos ipsos periculi plenum sit exemplum, quod in nobis statuunt, eos etiam atque etiam perpendere velimus; Et quandoquidem non modo privata nostra, sed communis omnium Principum res agitur, ut quo in Regna nostra restituamur auxilio nos juvent, æquum est ut postulemus. Perpendant animo gloriam quæ in eos redundabit ex tam salubri consilio, omnium Principum, quibus jura sanguinis Regnum deferunt, saluti & dignitati congruo. Tandem videant an antiqua fœdera quæ cum illis redintegraturi sumus, non majorem omnino firmitatem habitura sint, paxque longè certior nobis fidejussoribus futura non sit, quàm si ab eo Principe oblatas similes conditiones acceptent, qui ut jure omni, ita omni liberorum stirpe caret, quos, licet habuerit, etiam per abnormem illam legem quæ post Invasionem Regni facta est, in illius locum succedere prohibentur.

Cùm tamen Fœderatos intelligamus id agitare ut invasio illa, quasi pacis propositæ fundamentum statuatur, postulat officii nostri ratio, ut quod nobis ipsis, posteris, subditisque nostris debemus, quantum licet demus operam, ne silentio nostro, quasi tacitâ quadam consensione, omnibus quæcumque in nostri præjudicium, legitimorumque Hæredum, Regnorumque nostrorum fieri poterunt, auctoritas accedat.

Itaque solemniter & quacumque meliori formâ fieri potest, Protestamur adversus omnia quæcumque statui aut stipulari poterunt cum Invasore Regnorum nostrorum, ut omni jure nulla, ex defectu legitimæ auctoritatis.

Protestamur etiam adversus Tractatus omnes fœderis, confœderationis, aut commercii cum Angliâ factos aut faciendos, ab Invasionis tempore, utpote qui eâdem auctoritate cùm destituantur, irriti quoque & nulli sunt; atque ita neque nos, neque hæredes legitimosve successores, aut subditos nostros obligare ullatenus queant.

Protestamur pariter adversus omnia acta quæcumque confirmare, roborare, approbare, directè vel indirectè possunt Invasionem à Principe Auriaco factam; Acta quoque omnia sub nomine Parlamenti falsò dicti, ab eo convocati, & præsertim illa, quibus Leges Regnorum nostrorum fundamentales, circa lineam Successionis Regiæ, evertere conati sunt.

Iterum Protestamur & declaramus, defectus hujus Protestationis, si qui in forma fuerint, neque nobis, neque hæredibus legitimis nostris, Regnis aut subditis, nocere aut damnum afferre posse: atque his Litteris Sigillo nostro majori munitis, nobis omnia jura nostra actionesque in integrum reservamus, easque salvas & integras manere & mansuras esse declaramus: adeò ut ultima quæque experiri potiùs quàm ab jure nostro decedere aut illud alieno judicio committere, fixum apud nos & ratum sit.

Protestamur tandem coram Deo & hominibus, immunes nos ab omni culpâ aut reprehensione fore, neque in nos conferri posse causam calamitatum, quas injuriæ jam nobis illatæ, vel si quæ deinceps nobis inferantur, in Regna nostra, totamque Christianam Rempublicam possunt accersere. Datum apud Sanctum Germanum Die 8. Junii Anno Dom: 1697. Regni nostri Decimo tertio.

Per ipsum Regem manu propriâ.